QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIX. MENSIS DECEMBRIS,

MAGISTRO ELIA BEDA DOCTORE MEDICO MODERATORE.

660.

Estne femina in virum mutatio ἀδύνατος?



ETAMOΡΦΩΣΕΩΝ vt aliæ naturales & veræ, sic pleræque inanes ac phantasticæ. Simplicium corporum quæ mixtioné ingrediuntur χαλὰ σώματα facilis transmutatio, velut aquæ in aërem, aëris in ignem : plantarum nonnullarum obscura est transformatio, vt raphani in brassicam, sisymbrij in mentham. Metallorum conuersionem in aurum arti chymicæ denegatam, ne quidem naturæ operâ fieri satis constat. Animalia suas non mutant formas, nec equus in canem, nec homo in felem migrat : támque ridicula est melancolicorum λυκανθρωπία, quàm vana sagarum.



OMINIS facultates actionibus, actiones organis definiuntur : cor sapit, pulmo loquitur, fel commouet iras, splen ridere facit ; singulæ operationes proprijs affixæ sunt partibus, quod mutua non detur partium in partes mutatio : nec eunuchi generant, nec concipiunt quibus exsectus est vterus mulieres : pisces quibus pulmo deest, non respirant, & aues non mejunt renum defectu. Ad propagationé humani generis genitaliū partium adornata est supellex, masculo alia quàm feminæ, quòd ille in alio, hæc in se ipsa ex concursu vtriusque seminis fœcundi generare fœtum sibi similem debeat.



OMO & mulier non specie differunt, sed sexu, quem solis animalibus Natura inseruit, non syderum concursu, aut ventorum afflatu, sed constitutione seminum. Frustrà sunt qui marem à femina solo calore, aut pudendorum situ distingui putant. Est ille quidé hac θερμότερος καὶ μακροβιώτερος, non tamen φυσικώτερος. Ab illa temperie alias præterea mas obtinet discriminis sui notas ; pilos duriores, barbam virilitatis indicem, latissimum pectus & hirsutum, testes pendulos & majores seminis artifices, penem solidum & extra prominentem, prostatas & parastatas, vniuersum denique corpus pilosum & grandius.



EMINA naturæ non παρέκβασις ἢ τέρας, sed ἀναπηρία, mare imperfectior est & imbecillior, pari licèt vtilitate, maiori etiam cum voluptate ad generationem cum eo concurrat, absque autem eo nusquam. Hæc toto corpore, voce ac gestu viro suo dissimilis, certis quoque partibus ab illo deflectit. Mammæ, clunium amplitudo, crurum breuitas, cutis glabrities, mollities pilorum, genitalium compositio à virilibus substantiâ, numero, situ, figurâ, temperamento, actione, vsu & officio discrepat. Mores quoque ipsi, ac ingenia feminarum ferè semper deteriora.



ENTITVR nonnunquam sexum suum masculus, dum ex deprauata pudendorum conformatione, aliàs hermaphroditi (qui tamen nullus esse verus potest) aliàs feminæ speciem exhibet. Scrotum testiculis vacuum, & versus interiora replicatum exilem mentulam recondens, vuluæ πτερυγώματα æmulatur, & sexum dissimulat, donec prurientibus libidine pudendis, vel emicantibus caloris radijs, velut è machina prorumpens penis, & scrotum expellentes foràs testiculi, qualis antè inerat intus occultus, talem sexum virilem in propatulo manifestant.

Ergo femina in virum mutatio ἀδύνατος. 107

Proponebat Lutetiæ GVIDO PATIN Bellouacus, Anno R. S. H. M. DC. XXIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. DIONYSIVS LE SOVBS.	M. IOANNES BOVRGEOIS.	M. FRANCISCVS GVENAVLT.
M. BARTHOLOMÆVS BARRALIS.	M. MAVRITIVS DE MONSTROEIL.	M. IOANNES MERLET.
M. CAROLVS LE CLERC.	M. GVLIELMVS GYON.	M. GABR. HARDVYN de S. Iaques.